

Responsum a Sigismundo Rege Polo-  
niae datum Oratoribus Ferdinandi  
et Joannis Regum Hungariae.

95

Sacra Regia Maiestas, Magnifici Domini utrin-  
que Oratores; maluisset quidem vel non ortam fuisse  
Controversiam hanc de munitionibus sub interstitio  
trimestrium & annuum induciarum interceptis,  
vel cum orta erat, illic in initio conclusionum in-  
duciarum apud dominos partis utriusque commis-  
sarios tractatam & definitam esse, quippe, quae  
cuperet magis omne hoc annuae cessationis tem-  
pus intractanda principali concordia, quam in  
componendis exitibus novis controversiis traduere.  
Verum quia permissione divina, neque impedi-  
menta ista vitari, neque per Dominos com-  
missarios supradictos ita tolli potuerunt, ut non  
ad compromissum descendere oporteret, boni et aequi  
consulere Maiestas tua non gravatur. Ceterum  
et si rem arduam intelligat Maiestas tua sibi  
alioqui evasori parum officio iudicis inter Serenissi-  
mos Magnificentiarum Vestrarum Reges et Do-  
minos fungi, ne tamen postulatis Maiestatum  
suarum, de compromisso suscipiendo, per Domi-  
nationes Vestras factis desere, videatur et suscipere

illud

illud, et causam, de qua compromissum est audire  
non est gravata: Quoniam vero ad ferendam senten-  
tiam illud potissimum videtur necessarium, ut ori-  
ginales Litera Magnifici Domini Hieronimi  
Laski Palatini Siraadiensis producantur; Maies-  
tas sua priusquam illas videat, a sententia de  
Controversia hac proferenda abstinere, quare Ver-  
stras Dominationes, Reverendissimi Domini Roman-  
orum Regis Oratores monet, ut intra diem duo-  
decimam Julii ad finiendum compromissum  
factum, literas originales ipsius Magnifici Do-  
mini Hieronimi Laski producant, quas eum  
perspicere & expendere, Maiestas sua dignabi-  
tur, & sententiâ suâ Controversia finem faciat.  
Interim vero, a Dominationibus Nostreis postulat,  
ut ea quibus mutuo verbis heri ad probandam  
intentionem suam nitabantur, inscriptis singulis  
Maiestatis suae tradere velint.